(19

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ANASARCA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS DILLON FRY,

Hibernus,

IN NOSOCOMIO CIVITATIS EDINENSIS, SUB AUSPICIIS CELEBERRIMI GULIELMI NEWBIGGIN, ADJUTOR.

Nec —— nisi causa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.

HOR. OD. L. 2. 2. 14.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiæ Typographus.

MDCCCXXII.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

CAROLO MASSEY BAKER,

COHORTIS EQUESTRIS DECIMAE QUARTAE

BRITANNICAE

VICE PRAEFECTO,

AVUNCULO SUO DILECTISSIMO,

HOC QUALECUNQUE OPUSCULUM,

IN TESTIMONIUM AMICITIAE

DICAT DEDICATQUE,

CAROLUS DILLON FRY.

HENRICUM FRY, Armigerum,

DE FRYBROOK IN COMITATU ROSCOMMON,

PATREM SUUM HONORATISSIMUM

SOLITA BENEVOLENTIA ACCIPERE

HOC TENTAMEN MEDICUM

STUDIORUM SUORUM IN ACADEMIA EDINENSI,

FRUCTUM,

PRECAT FILIUS AMANTISSIMUS

CAROLUS DILLON FRY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ANASARCA.

Quoniam inclytae hujus Academiae leges postulant, unumquemque summos Medicinae honores ambientem, quasi speciem diligentiae suae, de re ad medicinam pertinente, aliquod in lucem proferre, idcirco eâ diffidentiâ, quae juvenem et inexpertum decet, in hac dissertatione pauca de Anasarca summopere statuere decrevi; quanquam nihil forsan novitatis quod eam commendet habeat, eo tamen selecta est, quod in nostra regione, Britannica scilicet, creberrime occurrit, inter dolentissimos morbos eminet, et mortalibus miserandis, qui ab eo cruciantur, plurimum periculi infert, medicorum attentionem severiorem nunquam non sibi vindicans.

DE VERBI ET MORBI DEFINITIONE.

Vocabulum Anasarca a verbis Graecis *ἀνὰ*, *per*, et *σὰρξ*, *caro*, derivatur. Celeberrimus Cullen eorum omnium longè accuratissimus, qui morbos ad formam systematis reducere conati sunt, solito ingenio, hunc morbum sub classe Cachexiarum, et sub ordine Intumescentiarum retulit ; eumque his verbis definivit : "Corporis totius, vel partis ejus intumescentia mollis, inelastica."

MORBI HISTORIA.

Morbus de quo nunc scripturus sum, veteris scriptoribus bene intellectum fuit ; quorum multi quam accuratissime descripserunt, et nostris temporibus tradiderunt. Nullae aetati sexuive parcit hic morbus, raro autem nisi post pubertatem obvenit, et ab anno trigessimo aetatis usque ad senectutem praecipue occurrit ; mulieribus quoque multo frequentius quam in viris observatur ; nullaque fortasse regio hunc morbum penitus ignorat. Tropicis autem multo rarius observari solet, quam in temperatis frigidisve regionibus.

SYMPTOMATA.

In enumerandis hujus mali signis, ad ea quae se ostenderunt in casibus, intra Nosocomium hujus civitatis

receptis, annis 1820, 1821, et 1822, curantibus Drs. illustribus Hamilton, Spence, Home, Duncan, jre. Graham, et Alison, confugere praecipue consilium nostrum est. Tumor levis pedum et talorum, noctu praecipue conspicitur, mane verò, fere vel omnino recedens, Anasarcae incipientis, primum indicium facit: molestia autem quandoque tantilla sociatur ut attentionem, etiam aegri ipsius, vix excitat, qui solita valetudine frui videtur, nisi quod aliquamdiu, postquam erectus permanserit. Tumore nunc paululum ascendente parum ampliari observatur; hic tumor vi resiliendi carens, albus, mollis, et plerumque frigidus est, impressique digiti vestigium retinet, qui cavitatem parvulam format, et quae, pressurâ sublatâ, postea aliquantum temporis manet, sed planitiem priorem paulatim attingit; si causae hunc tumorem producentes agere pergant, et progrediente morbo, tumor ab inferioribus membris ad superiora gradatim ascendit, femoribus et scroto aquâ impletis, in viris; in foeminis autem pudendorum labiis, brachiis quoque, manibus, et facie (praecipue palpebris) tumentibus. In paucis vero exemplis (ut * Abercrombie benè monet) longe aliter cursum habet aqua, incipiente nimirum tumore in facie et extremitatibus superioribus, gradatim descendit. Ingravescenti morbo, magis magisque corpus distenditur, solitumque artuum motum multum impediens. Aliquando humor hydropicus ut viam sibi patefaciat, cutem distendit, magnasque liquoris aquo-

* Vide Medical and Surgical Journal, Vol. 14.

si quantitates per eam transire sinit; si exitum sibi non reperiet cuticula in vesiculas elevatur, et aliquando rumpitur; humore in hisce vesiculis, diu retento, circuitum sanguinis in vasis cutaneis impediendo, gangraenam nonnunquam movit, quae semet diffundens, brevi aegrotantis infelicis vitae finem facit. In hoc morbi statu, partes internas nunc petit aqua, et in diversa viscera, praecipue pulmones, infunditur; et hinc indicia singulis eorum propria nascuntur, tussis scilicet sicca et frequens, cum dyspnoea, quae adeo aliquando aegrum afficit, ut instantem suffocationem timet queriturque. Ab ipso initio morbi, sitis insatiabilis urget, urina contrà parva quantitate secernitur, et rubra crassaque fit, et magnam sedimenti lateritii quantitatem deponit. Alvus plerumque adstricta est, nonnunquam vero diarrhoea urget, et faeces cum urina aliquando involuntariè excernuntur; cutis arida et frigida tactui reperitur, perspiratio naturalis per eam saepius obstruitur, et arte aegerrime elicitur. Saliva parcius secernitur, et cibi cupiditas multum imminuitur. Catameniae in foeminis ab initio etiam morbi cessare solent; aeger fere semper de frigore queritur, pulsus arteriarum saepe parvi sunt et debiles, interdum tardi et intermittentes, perraro denique validi, pleni et duri; sanguine misso et jam concreto, tunicam coriaceam albam in permultis exemplis hujus mali ostendit, cum magno seri quantitate, quod colorem opacum frequenter habet. Cum morbus jam adoleverit, plurimae corporis functiones

admodum vitiantur; hinc corporis languor, summaque debilitas aegrotum urget; et concoctio multùm depravatur. Morbo jam ad exitum properante; pulsus languent, vaccillant, et haud raro deficiunt; respiratio difficillima et anxia fit, et ita mors pedetentim invadens, finem doloribus aequè ac vitae imponit. Sub finem quoque morbi in nonnullis exemplis stupor, coma, deliriique signa adjiciuntur, quibus, si arte non alleventur, aeger adeo exhauritur, ut natura fessa atque defatigata, post conatus strenuissimos, per longum tempus perdurantes, morti optatae libenter succumbit.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Inter causas praedisponentes hujus morbi, omnia quae debilitatem inducere possint enumeranda sunt; senectus scilicet, et evacuationes variorum generum. Qui vitam inertem sedentariamque ducunt, ad hunc morbum capiendum proclives sunt; iis enim, circuitus sanguinis impeditur, et concoctio et assimilatio malè perficiuntur. Liquorum inebriantium, praecipue spirituum ardentium usum immodicum, specierum hydropis omnium, causam frequentissimam praedisponentem esse, uno quasi ore medici conclamant. Morbi antecedentes, diuque protracti, praecipue febres intermittentes, dysenteria, scarlatina, diarrhoea similesque, aut corpus debilitando, aut obstructiones viscerum organicas inducendo, haud raro hydropem progignere soliti sunt.

CAUSAE EXCITANTES.

Humoris praesertim aquosi congestionem, intra telam reticulatam collecti, duabus fere causis auctores referunt; effusioni nempe auctae, aut humoris a natura secreti, ad interstitia corporis lubricanda resorptioni diminutae. Tumores varii partium in abdomine sitarum, praecipue Hepatis, Pancreatis, Lienis, Ventriculi, cum scirrhosi tum steotomatosi, venas singulares premendo, hydropem producere possint. Quaedam cordis affectiones organicae, sanguinis transitum prohibentes hunc morbum inducere possint, talis est valvularum ejus in os conversio.

Plerique scriptores, pari ratione, polypos in diversis cavis cordis, inter causas morborum hydropicorum memoraverunt; mihi vero incertum videtur, an haec unquam in vivis animalibus, necne existant, nam nullo hydrope praecedente saepissime reperiantur. Frigus subito corpori sudanti admotum saepe morbum inducit. Ultima causa excitans quae nunc recensere in mentem est, arteriarum est actio aucta; haec ni egregie fallor, multo frequentior est quam vulgo putatur.

DIAGNOSIS.

Nulla difficultas hujus morbi dignoscendi, eum qui opportunitatem antea videndi habuerit, opprimet. Duo quidem solum sunt morbi, quibus Anasarca confundi possit, Emphysema scilicet et Polysarca.

In Emphysemate autem elasticitas tumoris, et crepitus qui per manus frictionem percipitur inter eam et Anasarcam certam diagnosin prebent; porro in Emphysemate tumor ab aëre originem ducens ascendit, cum in Anasarca aqua e sua gravitate, in partes inferiores recedit. Polysarca ab Anasarca sede tumoris non mutatâ corpore moto, nec impressione digiti manente post pressuram sublatam, facile distingui possit ; in polysarca porro sitis non augetur ; neque imminuitur urina, et a plena diaeta plerumque inducitur. Hic morbus porro aliorum morborum hydropicorum haud raro symptomaticus est, sed ut ab iisdem causis praecipue originem ducunt, et eandem curationem saepissime requirunt, de iis in hoc loco non consilium est rogare. Attentio autem medicorum maxime requiritur ut dignoscant an morbum sit inflammatorium (sicut nunc vocatur); quod ab aegri aetate et temperamento consideratis, necnon a causis cum praedisponentibus tum excitantibus quibus inducebatur morbus, fieri possit ; sed praecipue a pulsu arteriarum, et a doloribus quibus aeger queritur : si media aetate vel infra, si plethoricus, et si validis causis excitantibus objectus sit, si pulsus validi, pleni et duri micant, cum dolore in aliqua parte corporis, tunc morbum inflammatorium esse judicamus ; sed contra, si aeger provecta sit aetate, leucophlegmasiae aspectu habens, morbo quoque a debilitate pendente, et simul cum pulsus arteriarum parvi, debiles, et intermittentes micant ; tunc morbum non esse inflammtaorium dicamus.

PROGNOSIS.

E cogitatione morbi historiae sedulâ, eventus facillime intelligitur. Quoniam autem in Anasarca saepius incertus sit, prognosis semper caute ducenda est. Ad morbi exitum rite praecognoscendum, aegroti aetas, vires, habitusque corporis, et pars affecta multum auxilii praebent ; si aeger floreat juventute ; si habitus corporis, ab intemperantia omnigena morbisque praegressis liber sit, si urina quantitate haud multum diminuetur, nec sitis multum augeatur, cum cibi desiderio manente, et si spiritu difficili non laboret, et malum haud diu jam perstiterit, et cum symptomata obstructionum in visceribus nulla existant, tunc exitum felicem foveamus. Sed contra, si aeger sit senili aetate, intemperantiae addictus, et vires morbo antecedente fractae, si sitis multum urgeat, cum urina in quantitate multum imminuta, si respiratio sit difficilis, et morbo longo tempore durante, vel denique si in hepate aliisve visceribus obstructionum signa adsint, tunc prognosin infaustam esse fere oportet. Hic morbus haud raro, paulo ante obitum, aspectum fallacem exhibet, aegroto spem dantem ; de quo valde insigne exemplum nuperrimè vidi. Medicum etiam aliquando frustrat, nisi symptomata cautè vigilet.

DE CADAVERUM INSPECTIONE.

Corporibus eorum qui Anasarca mortui sunt, scalpello patefactis, haec in conspectu plus minusve veniunt; omnis scilicet tunica cellularis, interdum humore seroso inflata est. Jecur et aliae glandulae statu scirrhi vel suppurationis inveniuntur; concretiones fibrinae sanguinis post mortem separatae, (qui vulgo polypi dicuntur) in ventriculis, et vasis grandioribus cordis, saepe reperiuntur; cor ipsum justa magnitudine raro invenitur: mole aliquando amplificatur; ventriculi haud raro dilatantur; ossificationes valvularum cordis saepe detectae sunt; cor quoque justo parvius aliquando observatur, et in multis exemplis pinguedine obtectum conspicitur. Effusiones seri in magnas corporis cavitates praecipue in thorace et abdomine saepe visae sunt, glandulae mesentericae in nonnullis exemplis amplificari apparent, et renes interdum flaccidi reperiuntur: sunt qui dicunt se ductum thoracicum ruptum vidisse; exempla vero hujusmodi a me nunquam observata fuerunt.

In quibusdam exemplis hujus morbi, varia inflammationis signa post mortem reperiuntur. Pleurae lymphâ aliquando obteguntur, et pulmones saepe nimiâ spissitudine inveniuntur, vel ut Anglicè vocatur *Hepatized*.

METHODUS MEDENDI.

Post hanc brevem historiam morbi in sectionibus prioribus et rationem causarum cum praedisponentium tum excitantium nunc ad methodum medendi monstrandum venio. Sed priusquam ad propositum memet accingo, dicere liceat, ut, cum morbus in formâ suâ tam multum variat, difficile foret proponere rationem medendi, omnibus exemplis idoneam : modo tam mitis est, (ut post scarlatinam aliquando observatur,) ut fere nihil auxilii requirat, modo tam gravis ut omne remedium contemnat : Alio tempore forma debilitata alia phlogistica inductus : secundum, igitur has varietates curationem variare necesse est. Consilium medendi sicut a Culleno propositum, longe praestantissmum esse mihi videtur, quod triplici modo perficitur, scilicit ; 1*mo*. Causas remotas simul quantum fieri possit removere aut evitare. 2*do*. Serum effusum evacuare. 3*tio*. Tonum perditum systematis restituere. Aliquae vero quaedam sunt, causae remotae, ad quas removendas, ars medica nihil auxilii praebere potest.

Exempla hujusmodi sunt, ossificationes cordis valvularum, vel magnorum ejus vasorum ; et ut aliqui volunt, canalis thoracici erosio, et haud raro hepatis scirrhositates ; in quibusdam vero exemplis, ubi morbus ex induratione hepatis vel aliorum viscerum pendet, ope medicamentorum, plurima symptomata le-

vare possumus, et nonnunquam ex toto summovere: et ad hanc rem faciendam imprimis cura summa dirigenda est; quod dicere superfluum omnino forsan foret. Varia profecto remedia ad hanc rem faciendam, apud varios medicos laudantur; inter alia, Hydrargyrus, Acidum nitricum, Conium maculatum, Leontodon taraxacum. Summa tamen spes posita est in primo,—hydrargyro scilicet; quod a multis in chronicis morbis hepatis, pro specifico habetur. Si morbus a suppressione aliarum excretionum naturalium, originem duxerit, consilium primum est eam restituere. Aegrum quoque imprimis commonefacere debemus, ut causas quae ad morbum inducendum valent, quam sedulo vitet; qualia sunt, diaeta tenuis, parca et aquosa; vita sedentaria; ebrietas iterata; evacuationes copiosae et frequentes; venus immodica; aër frigidus et humidus, &c.; et, nisi aeger talia in tempus futurum, quantum fieri potest, sedulo evitet, omnes conatus ad morbum tollendum prorsus inutiles fore.

His dictus ad consilium secundum nunc venio; scilicet, ad serum effusum evacuandum. Haec indicatio tribus diversis modis effici potest, nam, serum effusum vel venaesectione, vel medicamentis exhibitis, aut arte vulnerariâ, detrahi potest; de missione sanguinis primo consilium est loqui, "Quae sentias dicere licet."

Multa me nunc hortantur, ut de venaesectione in hoc loco disputarer, nam morbum ab hac sola nonnunquam sanari, non dubitandum est, et porro ut in

plurimis exemplis (ni multum fallor) et fortasse in omnibus, operationem aliorum remediorum, quam maxime facilitat, augetque, quod in medicamentis diureticis praecipue notabiliter apparet. Venaesectionem in hydropibus paucis veterum scriptorum non penitus incognitam fuisse videtur, nam Paulus Ægineta eam in hydropibus quae originem ex suppressione, menstruorum vel haemorrhoidalium fluxum, dixerunt, strenue commendat. Paulo post hoc tempus doctrina Humorum Pathologiae, novas et longe diversas opiniones, de natura hydropum omnium generum, in mentibus medicorum, per multa secula induxit: nam ab hoc tempore putabatur, omnes morbos hydropicos, a tenuitate sanguinis progredi, et cum visciditate ejusdem fluidi, comitari. Sed alienum est a me in has res nunc penetrare, quod et tempus porro et limites hujus dissertationis, omnino vetant; priusquam autem hanc rem depono, dicere liceat, ingeniosum Blackall primum fuisse qui planè, hydropem non semper in tenuitate sanguinis pendere demonstravit. Detractionem sanguinis omnibus exemplis Anasarcae accommodatam esse, asserere minime volo intelligi; nam omnibus perspicuum est, in illis exemplis quibus morbus constitutiones debiles atque relaxatas afficit venaesectionem, morbum ex necesse graviorem reddere. Rebus attamen sic sese habentibus, in quibusdam exemplis hujus mali, tussis vel dyspnoea, et haud raro dolores, aegro aliquando adeo sunt molesti, ut sanguinem detrahere cogamur, idque quamvis symptomata, supra jam recensita, mul-

tum urgeant. Limites, igitur, quibus hoc remedio oportet utamur, ex variis rebus pendent, aetate scilicet, temperamento, viribus et constitutionibus alisque statibus aegri; morbique tempestate, vi, periodoque: statu quoque sanguinis jam missi, et postremo, ex prioris detractionis in aegrum effectibus. Si morbus homines plethoricos, et robustos invadat in quibus pulsus arteriarum validi, fortes et duri micant, et qui simul validis causis excitantibus objecti sunt, tunc ad venaesectionem confugere debemus; et me judice remedium est, quo omnis spes sanitatem restituendi, fidenda est; et porro si post detractionem sanguinis copiosam unam vel alteram, symptomata nihilominus maneant, ad Scalpellum rursus iterumque decurrendum est, donec effectus (vel aliqua mutatio) sive in pulsu, sive in symptomatibus qui urgeant, efficiatur. Quod ad methodum sanguinis detrahendi pertinet, quo citius abstrahatur, eo effectus plerumque felicior evenit, hinc è grandiore vulnere, major fructus ferè semper educitur. Quod vero ad quantitatem attinet nemo (me judice) regulas certas praescribere valet. Si enim fluxus sanguinis reprimetur priusquam mutatio aliqua inducatur, quis sanus contenderit hunc modum rationem esse medendi? Porro quoque si rivulus sanguinis non coërceatur postquam mutatio optata, aut effectus aliquis observatur, malum haud minus perniciosum inducitur. Hinc facile intelligitur ratio, cur remedium hoc efficacissimum, non frequentius apud Medicos utitur. His dictis ad secundum modum seri

evacuandi venio, ope scilicet medicamentorum. Medicamina quibus maxime innitendum est, sunt quae urinam, dejectionem, sudorem et vomitum, &c. movent, quae paucis verbis nunc considerabo.

Omnium medicamentorum, quae ad Anasarcam curandam ministrantur, diuretica longe celeberrima sunt; remedia quae actione hujusmodi pollent sunt; Digitalis purpurea, Scilla maritima, Supertartras potassae, Nitras potassae, Spiritus aetheris nitrosi, Spiritus juniperis communis, et Diluentia. Prae omnibus diureticis DIGITALIS PURPUREA summum locum tenet, et saepius nunc praescribitur. Sed in ea administranda summa cura opus est, propter effectus violentissimos eam liberrimè exhibitam sequentes, haud raro enim, aliquo tempore sine ullo effectu in corpore latet, et tandem subito et violenter erumpit, haud sine "magno discrimine vitae:" hoc medicamen vel sub forma tincturae, infusi, vel pulveris foliorum siccatorum, exhiberi possit; inter has tinctura anteponenda est, et effectus ejus usu diluentium liberè promoveantur. Inter Digitalem administrandam, maxima attentio ad statum pulsus, ventriculi, alvi, et prae omnibus functionum cerebri, tribuenda est; si pulsus fit debilis et abnormis, si vomitus vel diarrhoea, si vertigo aut hebetudo visus, ex ea oriantur, usus statim omittendus est, et vinum extemplo administrare debemus. Si diarrhoea multum urgeat ad tincturam opii confugiendum est. In exemplis hujus morbi, ubi urina calore admoto coagulatur

Dr. Blackall, Digitalem tum principem, ac minime fallax remedium, invenit.

Scilla Maritima. Inter alia diuretica, quae causâ Anasarcam sanandi exhiberi possint, radix Scillae maritimae proximum locum occupat; in forma tincturae, pulveris, vel aceti administrari possit. Tinctura anteponenda est, cui proxime addatur acetum; haec medicamenta enim systema celeriter afficiunt. Scilla cum hydrargyro conjuncta, vires diureticas saepè auget; haec mistura cum morbus scirrho aut similibus affectionibus hepatis, aliorumve viscerum, conjungitur, multum prodest. Si, vero, catharsin hydrargýrus movet, ad opium confugiendum est.

Supertartras Potassae. Propter vires ejus diureticas in hoc morbo multum apud medicos laudatur, et Cullen judice potentissimum est remedium si multo potu diluitur. Nitras quoque et acetas potassae inter medicamenta diuretica haud immerito recensentur, sicut etiam quaedam aliae e salibus mediis in aqua bene solutis. Fortasse tamen notatu dignum fuerit, incautam horum administrationem alvum nonnunquam solvere, et sic medici consilium frustrare. Spiritus aetheris nitrosi et spiritus juniperis communis, vim haud mediocrem ad urinae quantitatem augendam habent, sed unà cum aliis medicinis diureticis, nunc fere semper praescribuntur.

Diluentia. Sitis, quae symptoma est omnium hydropicorum morborum, in hac specie multum semper urget; et ope diluentium amoveatur; diluentia

quidem, omnigena morbum majus augere quam levare olim habebantur; experientia autem recentior contrarium planè docet; exempla quidem non desunt, quibus diluentia sola liberè sumpta, valetudinem restituisse cognota sunt.

De Purgantibus. Inter auxilia, quae Anasarcae curationem expediant, purgantia merito laudibus efferuntur, quippe quae ad evacuandum serum effusum haud parum ministrant; ut eorum beneficia quam maxime aegrum juvent, cathartica libera manu administranda sunt. Purgantia in drastica et mitiora dividuntur, quorum drastica anteponenda sunt, qualia sunt Momordica elaterium, Cucumis colocynthis, Convolvulus jalapae, Convolvulus scammonia, Stalagmitis cambogioides, et Submurias hydrargyri; haec per se vel cum aliis catharticis conjunctis, sumi possint.

De Sudorificis. In omni morbi statu, cura maxima adhibenda est, ne aeger frigore afficiatur; frigus enim vitare, haud parum ad Anasarcae curationem confert. Ob hanc causam in lecto jaceat, et omni modo contra frigus sese defendat, hoc modo operationem remediorum sudorificorum multum augemus; ex remediis hujusmodi efficacissima sunt, praeparationes Antimonii vel per se vel cum opio conjunctae, pulvis Ipecacuanhae et opii et medicamenta vomitoria. Rarissime vero sudor in hydropibus elici potest; interdum enim remediis etiam validissimis, non valemus provocare sudorem.

De seri arte evacuatione. Haec intentio mo-

dis diversis effici potest; epaspasticis scilicet, puncturis et scarificationibus. Epaspastica a quibusdam medicis multum laudantur, et ab aliis in summo dedecore haud immerito habentur: ineunte tamen morbo et priusquam partes tonum amiserunt commodè aliquando applicata sint: morbo autem provecto cum partes tonum naturalem perdiderint cautissimè adhibenda sunt, quoniam partes, quas occupaverint, fere semper gangraenâ afficiuntur.

De puncturis et scarificationibus. Si post omnia remedia interna externaque, sumpta vel adhibita fuerunt, et morbo adhuc ab iis non alleviato, ad scarificationem decurrendum liceat, quasi solum remedium quod manet. Incisiones parvae et circiter unam vel duas pollices, inter se distantes, supra genua, et in femora si opus sit, faciendae sunt. Hae periculo tamen non carent; cavendum enim est ne partibus sic sectis, in suppurationem et gangraenam ruant. Postquam serum effusum vel medicamentis aut operationibus totaliter summoverimus, proxime nitendum est, tonum systematis amissum revocare; quod tertium medendi consilium constitit. Haec intentio variis modis, (iisque haud raro inter sese conjunctis) efficitur; qualia sunt, Victus nutriens, Medicamenta tonica, et Exercitatio. In promptu est quantum idonea diaeta et regimen, ad hunc morbum sublevandum vel tonum systematis restituendum, juvant; cibus facilis concoctu ministrari debet, qui satis alat, et ad flatum inducendum minime proclivis est; pro potu autem bona cerevisia. Post

seri evacuationem, propter ingentem debilitatem, quae in hoc morbo observatur, quaedam medicamenta tonica, prudenter exhibere oportet; qualia sunt, Cinchona officinalis, et quaedam ferri preparationes; multa alia hujusmodi medicamenta, apud medicos laudantur; utilissima autem recensui. Inter remedia ventriculum indirectè roborantia, per corpus scilicet universum, exercitatio optima jure habetur; genus nervosum corroborat; sanguinem per totum corpus equaliter diffundit; secretiones, et excretiones diminutas auget; hoc modo omnibus morbi signis deficientibus, aegroque convalescente, ad consuetudines solitas paulatim redire liceat.

FINIS.

Excudebat C. Stewart, *Academiæ Typographus.*